



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CLXXXII. De Expugnatione castri Sassoviae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

Hartmannus C. de Heldrungen VIII. Mag. Gen. Ord. Teuton.  
Conradus à Tierberg Senior IX. Mag. Prov. in Prussia.

quadam fraude traditionis, voluit sub simulatâ specie boni eos decipere. Misit enim nuncios suos ad Commendatorem de Memelburgk, petens ab eo humiliter & devotè, ut cum armigeris suis veniret, & eum, qui cum totâ domo & familiâ vellet relietâ Idololatriâ baptismi gratiam percipere deduceret violenter, quia nonnisi in manu potenti evadere infidelium manus posset. Commendator auditâ hâc legatione gavisus est gaudio magno. Unde licet non posset habere plenam certitudinem facti, voluit tamen sub spe lucri tot animarum aggredi rem periculosa & dubiam propter Deum. Assumptis ergò fratribus quibusdam & armigeris processit, & in ira occurrit ei quidam vir, qui ipsum de traditione hujusmodi præmuniuit, asserens, quod dictus Sarrecka cum multis armatis, ut eum & fratres occideret, in itinere expectaret. Hoc audito Commendator non volens, quod idem Sarecka de tanta iniquitate commodum reportaret, circumveniens eum, improvisè irruit in ipsum, & aliis præ timore in fugam conversis, ipsum cum octo potentioribus de parte ipsius capiens deduxit. In primâ verò nocte dum fratres quiescerent in tentoriis suis, idem Sarecka, qui fortis erat robore, solvit se à vinculis, quibus ligatus stetit ad arborem, & arrepto gladio unum fratrem & tres armigeros interfecit, & alteri brachium amputavit, in qua pugna & ipse etiam est occisus.

## C A P. CLXXXII.

*Deo**Expugnatione castri Sassoviae.*

F Rater Conradus de Tierberg Magister hoc intellecto commotus est, & congregato exercitu valido mille quingentorum equi-

*Hartmannus C. de Heldrungen VIII. Mag. Gen. Ord. Teut.**Conradus à Tierberg Senior IX. Magister Provincie. Prussiae.*

equitum, aliis cum XV. navibus procedentibus circa castrum Scalovitarum Sassoviam convenerunt, & ad impugnationem ejus viriliter accedentes, ipsum post longam altercationem potenter expugnaverunt, & partim captis hostibus, aliis gladio trucidatis, in cinerem redegerunt.

## CAPUT CLXXXIII.

*De**Desolatione terræ Scaloviæ.*

Multa bella alia sunt gesta per Fratres contra Scalovitas, quæ tædiosum esset scribere. Postquam ergo potentiores terræ hujus Domini scilicet Surbanis, Svisdeta & Svedeta vide-runt sibi Deum terribiliter offensum, & fratribus miro modo propitium, non audentes ultra Divinæ potentia resistere, ad Christianos, relictâ paternâ hæreditate, successivè cum omni domo & familiâ suâ successerunt. Communis autem populus audiens, quod Duces exercitus sui, per quos bellum gerebatur, recessissent, subjecit etiam se fidei Christianæ. Sicque terra illa fuit sine habitatore multis annis.

## CAP. CLXXXIV.

*De**Apostasia III. Pruthenorum & captivi-tate Commandatorum de Christburg & El-bingo & familia eorum.*

Cum ergo sub innumeris expensis & laboribus, infinitisque angustiis ferocem illam gentem & indomitam Prutheno-

LI 3

rum